



**Theologia Scholastica Secundum Viam Et Doctrinam D.
Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici**

In Celebri Archiepiscopali Benedictina Universitate Salisburgensi, methodo
& norma ibidem usitata publicè tradita, & in IV. Tomos digesta ; Qvorvm
Primvs Tractat De Deo Vno Et Trino, Deq[ue] Creatura Angelica ...

Mezger, Paul

Augustæ Vindelicorum, 1695

§. I. Asseritur externum peccatum omissionis pro tempore quo ponitur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74152](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74152)

stantiâ temporis: ergo adhuc est contra virtutem studiositatis. Respondeo. Caret debita circumstantiâ, carentiâ ortâ ab extrinseco, & ex motivo religionis, concedo; carentiâ ortâ ab intrinseco & ex motivo studiositatis, nego anteced. & consequent.

8. Objicies secundò. Peccatum commissionis habet distinctam malitiam à peccato omissionis: sed studium, quo causatur ommissio Sacri, est peccatum commissionis: ergo. Minor probatur: peccatum, quod opponitur præcepto negativo, est peccatum commissionis: sed studium prædictum opponitur præcepto negativo non impediendi auditionem Sacri: ergo.

Resp. vel negando, vel gratis dist. maj. peccatum commissionis, in quo Tô commissio formaliter & moraliter accipitur, habet distinctam malitiam, transeat; in quo Tô commissio solum materialiter & physicè sumitur, nego: sed studium est peccatum commissionis Tô commissio solum accipiendo materialiter & physicè concedo; moraliter & formaliter, nego min. & consequentiam. Et ad probationem dist. maj. Peccatum, quod opponitur præcepto negativo formaliter & explicitè tali, concedo; præcepto negativo, quod implicitè includitur in affirmativo, & respicit motivum ejusdem virtutis, nego. Sed studium opponitur præcepto negativo non impediendi auditionem Sacri, ita ut hoc ipsum sit inclusum in affirmativo præcepto audiendi Sacrum, sitque proinde virtualiter affirmativum [nam hoc ipso quòd aliquis actus præcipitur, implicitè prohibentur impedimenta ipsius] concedo; ita ut sit explicitè & formaliter tale, nempe ex speciali motivo distinctæ virtutis, nego minorem & consequentiam.

§. III.

Corollaria.

9. Colliges ex dictis primò. Per se loquendo, nullam esse obligationem, in confessione exprimendi actum, qui est causa omissionis culpabilis, quia nullum constituit peccatum specie, vel numero distinctum à peccato omissionis: sicuti propterea neque actus externus nec internus sunt specialiter & distinctè exprimendi. Dixi tamen per se loquendo. Nam per accidens esse potest obligatio primò: quando actus est ex objecto malus, ut si causâ furandi Sacrum omittitur, Se-

cundo: si affectus ad actum, v.g. ad venandum est tantus, ut ejus causâ sis paratus quamlibet DEI legem transgredi; talis quippe affectus habet specialem repugnantiam cum virtute charitatis.

Tertiò: Cum voluntati omittendi aliquid præceptum, ipsa externa omisso non adæquatur: nam tunc voluntas sæpius omittendi est specialiter exprimenda, eò quòd diversitas objecti aliam numero malitiam refundat in voluntatem omittendi, quàm reperitur in ipsa externa ommissione. Ita si habuisti voluntatem totâ septimanâ omittendi Breviarium, & unâ tantum die omististi, debes utramque specialiter exprimere: sicuti qui habuisset propositum totâ Quadragesimâ comedendi carnes, & tantum primâ Septimanâ comidisset, propter numericam diversitatem malitiæ actûs interni & externi deberet utrumque distinctè exprimere. Quariò: Si actus omissioni conjunctus auferat potentiam etiam in posterum implendi præceptum, propter quam impotentiam actûs novam inducit malitiam: ut si nolens restituere rem alienam, illam hoc animo dilapidas: si, ne debeas in longa navigatione orare Breviarium, illud in aquam projicis. Dixi, in posterum; nam actus, qui observantiam præcepti tantum facit impossibilem de præsentis, exinde nullam specialem malitiam contrahit, cum non sit verisimile, quòd pro tali tempore homo sit mutaturus tuam voluntatem.

Colliges secundò. Illum, qui cum firma voluntate non audiendi Sacrum somno se daret paulò ante horam duodecimam, quâ instat præceptum illud audiendi, non peccaturum capiendo somnum: quia non est verisimile, intra tam modicum tempus mutare velle suum propositum. Ita Godoyus cum Suarez sect. 3.

Colliges tertiò. Si quis, obligatus ad restituenda aliqua bona, datâ operâ illa distrahat, ne possit restituere, peccare per illam distractionem, quia reddit se impotentem ad præceptum actum restituendi.

Colliges quartò. Si quis haberet votum studendi eo tempore, quo domi non est occupatus, obligari ad studium, quando ex alio fine omittit audire Sacrum & domi remanet: quia supponitur possibilis & honesta actio studii, quæ ex omissione Sacri hic & nunc per accidens conjuncta non vitatur.

ARTICULUS II.

Quodnam fiat externum peccatum omissionis.

SUMMARI A.

1. Externa omisso præcepti est culpabilis, manente potentiâ desistendi ab actu impeditivo.
2. Non est peccatum post retractatam voluntatem, quâ ponitur impotentia implendi præceptum.
3. Est peccatum, si voluntas non sit retractata non obstante impotentia servandi præceptum.
4. Auctoritas S. D.
5. Ratio triplex.
6. Exponitur Clement. si furiosus.
7. Quomodo omisso in se sit libera & peccaminosa?
R. P. Mezg. Theol. Schol. Tom. II.
8. Solvuntur instantiæ quedam & paritates morales.
9. Cur ad meritum non sufficiat indirecta libertas?
10. Per omissionem completur voluntarium.
11. Idem sentiendum de effectibus voluntariis in causa.

§. I.

Quaritur non de internâ voluntate omittendi, sed de ipsa omissione externa, quæ est effectus

B b 2

fectus

fectus & complementum voluntatis internæ.
De qua

Suppono primò. Peccari externo peccato omissionis, quo tempore urget obligatio præcepti, & non impletur, si post causam omissionis liberè postquam adhuc est in parte omittentis, ut posset ab actu impeditivo operis præcepti desistere, & implere præceptum. Veluti cum quis tempore audiendi Sacrum dat operam ludo, venationi, &c.

2. Suppono secundò. Non peccari externo peccato omissionis, sed solâ internâ voluntate omittendi, quando prima voluntas omittendi fuit seriò retractata, & non est amplius in parte omittentis omissionem impedire. Ita si quis Clericus ex voluntate non recitandi Breviarium in itinere nautico Breviarium in aquas projecit, & postea seriò doleat de tali projectione, sequens ommissio Breviarii non amplius ipsi imputatur in culpam; siquidem per retractionem primæ voluntatis abruptur moralis influxus voluntatis in illam omissionem, sicque definit esse voluntaria in causa. Unde status quæstionis est pro illo casu, quando quis liberè posuit causam omissionis, neque voluntatem omittendi retractavit, interea tamen ad implendum præceptum factus est impotens, v. g. per somnum aut ebrietatem, quâ ligatur usus rationis, utrum peccet peccato omissionis non illo solùm tempore, quo liberè posuit causam omissionis, [de quo nullum est dubium] sed etiam quo omittit præceptum, quamvis illo tempore præceptum implere non possit?

3. CONCLUSIO. Quando ommissio externa manet voluntaria in causa, peccatur eo quoque tempore, quo fit ommissio præcepti, non obstante impotentia implendi præceptum, v. g. per somnum vel ebrietatem.

4. Authoritas D. Thomæ q. 76. a. 2. ad 3. dicens: Sicut in peccato transgressionis [h. e. commissio] peccatum non consistit in solo actu voluntatis, sed etiam in actu volito, qui est imperatus à voluntate; ita in peccato omissionis non solum actus voluntatis est peccatum, sed etiam ipsa ommissio, in quantum est equaliter voluntaria. Et in 2. 2. q. 79. a. 3. habet: Dicendum, quod ommissio ei imputatur ad culpam, quando fuit tempus operandi, tamen propter causam præcedentem, ex qua ommissio sequens redditur voluntaria. Unde

5. Ratio conclusionis est primò. Ad peccatum sufficit voluntarium in causa: sed externa ommissio prævisa in causa liberè posita est voluntarium in causa: ergo est peccatum. Utraque præmissa constat à paritate aliorum peccatorum: nam & homicidium in ebrietate prævisum, & pollutio in somnis causata per præcedentes impuras cogitationes sunt vera peccata.

Secundò. Qui Sacrum præceptum omittit in somno, cui se liberè tradidit, prævidens probabiliter in illo futuram omissionem Sacri, is peccat peccato externo omissionis: sed non peccat peccato formali & completo omissionis, quo tempore causam ponit, & se somno tradit: ergo illo tempore, quo Sacrum actu omittit. Major videtur certa, quia peccat contra præceptum affirmativum audiendi Sacrum, & tenetur in foro penitentiali se non de sola voluntate, vel posita causa omittendi, sed ipsa etiam omissione accu-

sare, & si qua censura actuali omissioni foret annexa, haud dubie illam incurreret; sicut & beneficarius tali modo omittens Breviarium tenetur ad restitutionem. Minor quoque probatur quia pro illo tempore, quo causa omissionis ponitur, potius peccatur contra præceptum negativum non ponendi causam omissionis, quod virtualiter includitur in præcepto positivo audiendi Sacrum. Neque propter illius causam positionem posset in confessionali se accusare, quod Sacrum omisisset: ergo eo tempore non peccat formali & completo peccato omissionis. Unde S. D. l. c. proxime cit. Si quis, inquit, per vim excitatus abstractus à somno compelleretur audire Sacrum, talis non peccaret peccato omissionis, idcirco, non teneret penas, sique forent impositæ omittentibus.

Ratio est tertio. Si ipsa ommissio Sacri, tempore somni liberè & cum prævisione securæ omissionis præsentis, non esset mala, neque voluntate omittendi esset mala: consequens est absurdum: ergo. Sequela probatur primò: quia voluntas, quæ non fertur in objectum malum, non est mala: sed per Adversarios ista ommissio non esset mala: ergo neque voluntas omissionis. Secundò: quia desiderare tantum effectum alicuius peccati, non est malum: sed qui vellet omissionem Sacri præcepti causatam in somno, iuxta Adversarios tantum vellet effectum peccati: ergo illa voluntas non esset mala. Major probatur exemplis: quia licet mulieri desiderare partum proli per adulterium conceptæ, licet etiam desiderare effectum sanitatis & nutritionis à caribus comestis contra interdictum Ecclesie, quorum uterque effectus provenit ex causa peccaminosa.

§. II.

Solvuntur Objectiones.

Obijcies primò. In Clementi, si furiosus, de homicidio, dicitur, quod homicidium factum à puero, furioso, insano, aut dormiente non inducat irregularitatem. Et de incestu Loth Patriarcha in ebrietate commisso dicitur Aug. l. 22. contra Faust. c. 24. Inebriatus Loth filia ejus, & se nesciens miscevit, quo propter culpandum est Loth, non tamen quantum ad incestum, sed quantum illa meretur ebrietas. Et quibus videtur inferri; id quod fit in somno aut ebrietate non esse peccatum, sed effectum peccati.

Respondeo, Clementinam loqui in casu homicidii non prævisi, adeoque nec in se, nec in causa voluntarii. Similiter Loth excusatur à peccato incestus, siquidem iste nullo modo fit ab ipso prævisus.

Obijc. secundò. Eo modo habetur ratio peccati, quo modo habetur ratio liberi & voluntarii, sed ommissio non libera est & voluntaria in se, sed in causa: ergo pariter non est peccaminosa in se, sed in sua causa.

Respond. datâ, non concessâ maj. dist. min. Ommissio non est libera in se, h. e. libertate immediate accepta à voluntate, concedo; non est libera in se, h. e. libertate nec mediata in se deprecavâ, nego, ergo non est peccaminosa in se, quâ ratione peccati immediate accepta concedo; nec mediata in se receptâ, nego consequent.